

Quoniam mihi studiis academicis finem imposito occasio exoptatissima data est gratum testandi animum erga eos viros, qui me et institutione et amicitia sibi obstrinxerunt, in mentem venit aetatis puerilis, cum Erasmiani alumnus Tuo praesertim ardore, clarissime VUERTHEIM, quod publice profiteri liceat, inflammatus bonis litteris me dare destinavi. Et postquam Leidae Te duce Graecis imprimis litteris operam dare coepi, indefessa Tua cura, Tuis benevolentissimis adhortationibus factum est, ut hunc libellum qualemcunque ad finem ducere possem. Itaque quod mihi contigit ut Tuis auspiciis studia colerem grato animo recordari nunquam desinam.

Est aliquid Tuum esse discipulum, clarissime HARTMAN. Etenim, ut quicumque in patria nostra latine scribit Te admiratur, ita iis, qui a Te litteris latinis eruditi sunt, Tuae exquisitae doctrinae, Tui acerrimi ingenii memoria nunquam excidet.

Vestris scholis, clarissime HESSELING et doctissime BOESER, haud sine fructu me interfuisse libenter testificor.

Denique quantopere debeam viris clarissimis HOLWERDA (†), VAN GELDER (†), BOLLAND (†) me hic non reticere fas est.

Ita omnium praeceptorum meorum nomina coniuncta documento sunt me totum assentiri Ciceroni de communi quodam vinclo omnes artes quae ad humanitatem pertinent iungente diserte loquenti.

ABD. AMMELTII BIBLIOPOLAE  
LEIPZIGI  
MDCCLXXIII